Q. B. F. F. Q. S.

FAVENTE DEO O. M.

AUSPICIIS

SERENISSIMI HASSIAE ELECTORIS

ET

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS REGNI SOCII

EXAMINA PUBLICA

CUM

DISCIPULIS

GYMNASII HERSFELDENSIS

A. D. III ID. PRID. ID. ET IPSIS ID. APRIL. MDCCCXXXII

INSTITUENDA

RECTORIS ET PRAECEPTORUM NOMINE ET AUCTORITATE

INDICIT

AD EAQUE

DUUMVIROS SCHOLAE CURANDAE PRAEPOSITOS

ET

QUOTQUOT SUNT BONARUM LITERARUM AMANTES

OMNI QUA POTEST HUMANITATE INVITAT

SIMUL HAC OCCASIONE

DE LOCIS QUIBUSDAM LIVII SALLUSTII THUCYDIDIS XENOPHONTIS DISSERIT

PETRUS JOSEPHUS ANDREAS SCHMITZ D.

CASSELLIS TYPIS HAMPEANIS.

. . . ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

OVID. *ex Pont.* II. 9.

L. S.

Quis sim, qui haec scribo, quomodo mihi venerit scribendi negotium, et quo maxime consilio scripserim, paucis in antecessum monendum est. Cum nuper pars altera Regni Belgici, quae pars recentioribus linguis proprie vocatur Belgium, a GUILLELMO, Augustissimo et Optimo Rege, deficeret, ego in Academia Lovaniensi Literarum Antiquarum Doctoris publici munere fungebar. Per decem amplius annos in Belgica terra versatus, ibique in Academia Lovaniensi primum Doctores egregios, deinde eosdem amicos benevolos et postremo, annis quibusdam interjectis, collegas optimos nactus sum. Praeterea multorum cum generis nobilitate tum doctrinae copia praestantium Virorum partim consuetudine partim familiaritate utebar, tantamque in me omnium benevolentiam experiebar, ut tum sponte, tum grati animi sensu Belgium tanquam novam patriam et Belgas tanquam cives meos omni quo quis potest amore prosequerer. Et mihi quidem nihil mali praesagienti feliciter contigit, ut per plures annos quietus nullaque re distentus omne meum otium cum publice discipulis erudiendis, tum privata diligentia bonis literis tractandis impenderem. Quidquid propius spectabat ad civilem prudentiam et ad res publicas administrandas id omne a meis studiis alienum erat, certe cum instituta vivendi ratione minus arcte continebatur. At videbam tamen, et urbes et oppida et regiones omnes, quas sensim perlustratas frequentioribus itineribus cognoveram, magis indies efflorescere imperio Regis Sapientissimi, quem paterna cura de civium suorum salute perpetuo fuisse sollicitum, et quidquid utile bonumve inceptum animadverteret, id munificentia vera Regia nunquam non juvisse, nemo vel acerrimus Illustrissimi Principis inimicus negare poterit nec audebit. Hinc persuasum mihi erat, siquid esset in rebus publicis sive mutandum sive emendandum, id omne et Regis sapientia, et legitimo Ordinum auxilio, et prudentia denique Virorum, qui singulis rerum publicarum partibus praeerant, melius certiusque mutatum iri, quam siquis ad imperitorum juvenum vel ad

cupidorum et malevolorum hominum immodestos et inverecundos clamores aut vociferationes attenderet. Imo siqui boni et integri homines de rebus mutandis suam mecum sententiam communicarent, ipse licet imperitus, tamen non raro intelligebam, si ex horum virorum animo res istae gererentur, eas in pejus potius quam in melius mutatas fuisse. Verum, quidquid horum fuerit, secuta est conversio Belgica, de qua nec hujus loci est disserere, et ego omnino judicium ab aliis quam a me dici malo. Inter medias turbas, multis undique rebus, ut fere solet, sceleste patratis, nemo erat bonorum, quos ego saltem illis temporibus vidi, quin mecum speraret, fore ut ad pristinum rerum ordinem omnia sensim reverterentur: quam et ipsam spem falsam fuisse eventus docuit. Cum itaque elapsis aliquot mensibus spes, fore ut legitimum Regis imperium rediret, fere omnis evanuisset, simulque illi homines, qui tum Bruxellis summas rerum tenebant, cum alios plurimos tum me multosque collegarum a munere publico indicta causa amovissent, et jam non amplius liceret in illis terris Optimo Regi inviolatam suam fidem servare, ego memor beneficiorum, quibus ab Augustissimo Viro cumulatus essem, sanctique sacramenti, quo Regi et legibus fidem divinxissem, amicis suavissimis et nova patria, eheu, valere jussis, quam primum potui in Germaniam me recepi. Idem fecere multi collegarum; namque a Rege suo propter privatum emolumentum deficere divinis et humanis legibus, id quod libenter profiteor, nefas esse existimavimus.

Non ita pridem *Carolus Bernhardi*, Vir Doctissimus, omnique mea laude longe praestantior, bibliothecae Lovaniensis Praefectus, a Serenissimo Hassiae Electore in patriam vocatus Celeberrimo *Jacobo Grimm* in bibliothecae Cassellanae praefectura successerat. Hunc mihi ante hos duodecim annos amicum divino munere obtigisse, saepe saepius lubenter gratoque animo profiteor. Ab eo humanissime invitatus anno proxime elapso Cassellas veni, ut de rebus meis commune consilium iniremus. Brevi post *Aug. Vilmarus*, Vir Reverendus, Gymnasii Hersfeldensis Praeceptor, quem nescio quo nomine, utrum insigni omnis generis doctrina, an felici plane in docendo dexteritate, an indefessa diligentia, an virili fervore, prudentia moderato illo, quo omnia bona prosequitur et adjuvat, an denique vera illa, quam domi apud Venerabilem patrem didicit, Christiana pietate majori dignum laude existimem, Vilmarus itaque eo tempore ab Hersfeldensibus ad concilium Ordinum Elec-

toralis Hassiae Cassellas missus est; cumque nemo statim adesset, qui ita proprio munere vacaret, ut interea temporis per aliquot menses Vilmari absentis locum in Gymnasio tenere posset, suadentibus ipso et Bernhardio haec mihi honorifice a magistratibus provincia demandata est. Ita autem annum fere integrum hic degi. Qua de re est profecto, quod mihi gratuler; nam praeterquam quod ita otium meum cum mea ipsius aliorumque utilitate impendi, tantam etiam, quanta potest esse maxima, omnium bonorum hic benevolentiam expertus sum. Quam quidem bonorum voluntatem ut aliis occasionibus propensam cognoveram, ita nuper, cum morbo gravissimo affligebar, esse longe propensissimam intellexi. Quae tunc mihi bona fecistis, Discipuli et Cives Optimi, id vobis reddat Deus O. M.; ego vero maximas, quas mente concipere possum vobis ago habeoque gratias!

Inter multos assiduosque labores, a quibus hujus gymnasii praeceptoribus vix unquam est locus quiescendi, aderat sensim tempus, quo ex veteri consuetudine esset aliquid scripti edendum. Et hoc certe negotium libenter reliquissem cuivis, qui id pro me suscepturus fuisset: etenim vix elapsae sunt paucae septimanae, ex quo a morbo illo meo feliciter sanatus sum; surgenti autem mihi de lecto confestim instabant assidui illi scholarum labores, quibus, cum adhuc magnopere debilitatus essem, non parum premebar. Praeterquam vero quod esset vix et ne vix quidem speciminis elaborandi spatium, deerant quoque multa, quae dicuntur subsidia literaria, quorum alia omnino non parabilia erant, alia certe propter temporis augustiam in praesentia comparari non poterant. Verum ne sic quidem volui meam sive voluntatem sive diligentiam desiderari. Elegi itaque, qui mihi in promptu erant, ex scriptoribus Latinis et ex Graecis, quos hoc tempore cum publice tum privata diligentia tractaveram, locos quosdam, qui sive difficiliores esse sive aliquam saltem interpretis diligentiam postulare viderentur. De quibus a me ita disputatum esse voluerim, ut meam sententiam dixisse, ceterum Viris Doctis, si qui forte has pagellas sint inspecturi, reliquisse judicium videar.

Superest ut rogem omnes, velint hoc non doctrinae sed paratae voluntatis specimen aequi bonique consulere.

Scripsi a. d. III. Id. Mart. MDCCCXXXII.

LIVIUS

XXX. cap. 1. §. 4.

Livius novos magistratus anno sexto decimo belli Punici alterius creatos recensens de P. Licinio, qui Proconsul in Bruttiis cum exercitu erat (cfr XXIX. 36.), et cui succedebat P. Sempronius, ita scribit: *is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad caetera.* De hujus loci subobscuri sensu multum laboratum est inter interpretes, cfr. *Drakenborch*, quo monente recte viderit Crevierius, qui verba *ad caetera* exponit *praeter caeteras laudes et ornamenta.* Sic vero sensus esset: »Licinius praeterquam quod caeteris »laudibus et ornamentis insignis erat, non minus bello quoque bonus habitus est.« At ita nobis interpretantibus non potest non manifestum esse, Livium, multa breviter narrandi celeritate quadam abreptum, contra logicas, quas dicunt, cogitandi ac disserendi leges paululum peccasse: etenium siquis narrat, Licinium ab exercitu et a bello avocatum esse, atque successorem habuisse, non potest idem ita hujus revocationis rationem reddere sive explicationem quandam subjungere, ut dicat, Licinium praeter caeteras laudes et caetera ornamenta in re militari quoque laudem obtinuisse; verum inversa sententia dicendum est, Licinium praeter rei militaris laudem alias quoque laudes et alia ornamenta habere. Namque absurdum esset revocari aliquem a bello, propterea quod cum aliis laudibus tum bellica virtute et rei militaris peritia clarus sit: at idem ille recte revocatur, si, ut bellicis laudibus insignis est, ita aliis, ut noster Licinius, animi corporisque dotibus, quibus hominum vita ornatur, suis se civibus et reipublicae bonum utilemque praestare potuerit. Attamen, licet haec ita sint, maluerim Livium minus accurate locutum esse, cujus quidem negligentiae apud optimos quosque scriptores exempla semel iterumve reperiri putem, quam locum conjecturis tentare, praecipue cum librorum mss. pars maxima in vulgatam lectionem conspirent, reliqui, qui paucissimi sunt, nihil fere mutent, aut nullam certe magni momenti varietatem exhibeant.

At siquis tamen locum emendare voluerit, is videat, numquid fortasse ipsum adjuvet scriptura unius *Cod. Ber.*, qui pro *habitus* legit *habilis.* Etenim facile fieri potuit, ut, dum utraque vox *habitus* et *habilis* a Livii manu scripta sit, earum altera ob literarum similitudinem errore scribarum exciderit. Porro cum in vetustis libris non raro singulae quaedam voces, remotae a loco suo, in alium locum irrepserint, qua quidem de re saepe monuerunt Viri Docti, aut particulae quaedam hyperbaton faciant (cfr *Poppo* ad Thucyd. P. I vol. I p. 301 sq.); simile quid fortasse in hoc Livii loco experta est particula *quoque.* Si itaque vox *quoque* post verba *ad caetera* ponitur, et quae exciderit vox

habilis ante *habitus* in contextum revocatur, obtinebimus satis probabilem lectionem: *is Romam reverteretur, bello bonus, habilis habitus ad caetera quoque.* Quorum verborum sensus jam facile intelligitur: »Licinius Romam reverteretur, qui »ut *bello bonus*, id quod paulo inferius aliis verbis dicitur *bellicae laudis com-»pos*, ita *habilis habitus* est *ad caetera quoque*, nimirum ad caetera munera »obeunda et ad res tam publicas quam privatas in Urbe gerendas.« Quae vero deinde sequuntur, *quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur*, ea intelligenda sunt, »ad quae (caetera sc.) *nemo civium* magis *instructus*, i. e. adornatus »sive comparatus *ea tempestate habebatur.*« Et videtur quidem rarius esse, quod verbum *instruere* cum dandi casu construatur; attamen alia hujus constructionis exempla exstant, ut Liv. I. 16 *Romanus . . . dimicationi ultimae instructus intentusque Tiberim transit.* Sallust. *Hist. Frag.* lib. II pag. 957 (*Cort.* Lips. 1724) *Antequam regressus Sertorius instrueret pugnae suos;* ubi vid. *Cortius.* Enumerantur deinde egregia fortunae bona, animique et corporis ornamenta, quibus cum insignis esset Licinius, ad res Romae gerendas prae civibus suis instructus ornatusque habebatur. De hoc loco satis dictum.

Quod paulo superius obiter dixi, vel optimum quemque scriptorem interdum minus accurate locutum esse, ejus rei mihi Livii Historiam inspicienti jam adest exemplum. Lib. XXIX cap. 34 §. 13 legitur: *Non tamen effusa fuga Masinissa, sed cedendo sensim impetus eorum excipiebat, donec cet.* quod sane minus accurate dictum esse videtur pro *Non tamen effusae fugae se dedit Masinissa,* sed ced. sens. imp. eor. excipiebat: etenim effusa fuga *excipi* impetus hostium non potest, sed *vitatur* potius. At Masinissa sedulo sese hosti lacessendum quasi offerebat, ut eum, dum incaute sequeretur, ad equitum latentium insidias protraheret: id quod ejusmodi bono dolo, de quo dicit *Ulpianus* (*Leg. I* §. 3 *D. De dolo malo*), a Masinissa feliciter effectum esse, sequentia docent.

Eodem Lib. cap. 24 §. 11. Livius ingentem multitudinem hominum, qui Lilybaeum in Sicilia ad trajecturum in Africam P. Scipionem confluebant, simulque incredibile quoddam studium, quo imperatorem ad unum omnes prosequebantur, describens, de militibus ex Cannensi clade superantibus, *praecipue,* inquit, *qui superabant ex Cannensi exercitu, milites illo, non alio duce, credebant, navata rei publicae opera finire se militiam ignominiosam posse.* At sive *militiam* intelligas *militarem expeditionem,* Graece τὴν στρατείαν, quod hoc loco vix poteris, sive *mili-*

tare munus, nostra lingua *ihren Dienst,* Gallice *leur service;* non liquet, quid his militibus opus sit navare reipublicae operam, quid opus sit duce P. Scipione, ad finiendam ejusmodi militiam, quae dicitur esse ignominiosa et cui itaque adspersa semel ignominiae nota inhaerere perpetuo, ostenditur. Quocunque vero modo vertamus sive interpretemur locum, haerebimus, ubi conjunguntur verba *finire militiam*, quae tamen ex recta loquendi scribendique ratione sensu ab invicem sejungi non possunt: haerebimus, inquam; namque finire militiam et duce quolibet, neque ulla omnino navata reipublicae opera, milites illi poterant; imo eorum ipsorum neminem dubitasse putem, quin militiam sat superque ignominiosam ita finire possint. Verum enim vero haec licet ita sint, multum abest tamen, ut, quid Livius noster voluerit, difficile sit attingere; imo vix quemquam fore existimo, quin statim intelligat, superstites illos milites credere, duce P. Scipione, et navata reipublicae opera, *delere sive reparare se posse ignominiam*, cujus ex Cannensi die notam acceperant. Ex hac interpretatione statim apparet, quid, qui resecare ad vivum omnia voluerint, in Livii enuntiatione reprehendant: cum scilicet composita ex duabus notionibus, *ignominia* et *militia*, animo ipsius idea obversaretur, cujus potior pars substantivo reddenda, altera subjuncto sive adjectivo sive alterius substantivi genitivo casu exprimenda esset; ita harum partium vices scriptor confudit, ut potiorem quam diximus, adjectivo, alteram vero substantivo tribueret, atque *ignominiosam militiam* pro *militarem ignominiam* sive *ignominiam militiae* scripserit.

Hi duo loci sponte quasi aderant, ut id, quod obiter dixeram, allato exemplo probarem. Ceterum non est tanti res, ut alios quoque sive Livii sive aliorum scriptorum evolvam ejusdem generis locos, quos quivis paulo attentius Latinorum itemque Graecorum libros legens facile ipse animadvertet.

SALLUSTIUS

Cat. XXXVII.

Praeter conjurationis Catilinariae socios, quorum praecipui enumerati sunt supra cap. XVII, alii quoque longe plurimi et cuncta fere plebes Catilinae inceptis favebant. Cujus tanti mali causas Sallustius ita recenset, ut possint omnes ad tria maxime capita referri, morum corruptelam, inopiam atque paupertatem, et spem immensam, quam miseri quique ex novis rebus conceperant (*homines egentis, malis moribus, maxuma spe*).

Aliae praeterea causae quaedam, ex partium studio et ex publica civium dissensione ortae, sequentibus duobus capitibus memorantur.

Nam semper in civitate quibus opes nullae sunt bonis invident, malos extollunt. — *Boni* h. l. *Cortio* sunt ditiores et honore atque opibus fortunati, quem sequuntur *Bipontini* addentes praeterea: »*Mali* sunt inopes humiles«; *Langio* item optimates divitesque, qui quietum reipublicae statum praeoptant. Ab his dissentit *Kritzius,* qui *bonis* significari dicit cives honestos et reipublicae amantes, quanquam de opibus simul eorum cogitari posse concedit. Quodsi *boni* illis solummodo opponerentur, *quibus opes nullae sunt*, sane non alia significarentur hac voce, quam ditiores et opulentiores cives; at iidem opponuntur simul *malis*, quod et ipse sensisse videtur *Kunhardtus;* unde fit, ut qui hic nominantur *boni*, ii intelligendi sint, quos altero loco describit *Herzogius* ad Caes. *De B. G.* VIII. 22. extr., qui scilicet vitam ut fortunatam ita honestam agunt, patriamque et leges propterea etiam amant atque servari cupiunt, quod ita se ipsos cum rebus suis facilius servatum iri sperant. Licet autem contrariam sententiam sequatur *Kritzius*, Vir Praestantissimus, videtur tamen vox *bonis* non posse de solis honestis civibus patriaeque amantibus intelligi, nisi hi et ipsi re lauta et fortunae bonis beatiores sint: etenim obstat cum omnis hujus loci ratio, tum vero verbum *invident*: quemadmodum scilicet nemo facile contenderit, paupertatem et infimorum hominum miseram conditionem natura sua virtutis et honestatis expertem esse; ita tamen omnes concedent, neminem fore perversorum hominum, qui pauperi ac misero homini ob solam honestatem virtutisque amorem invideat. Cum itaque invideri *bonis* ab iis *quibus opes nullae sunt* dixerit Noster, consentaneum est, eum de opibus non minus quam de ipsa vitae honestate cogitasse. Qui nihil habent, quod perdant, praecipue si malis moribus sive bona sua dilapidaverunt sive famam attriverunt, eos novarum rerum impense cupidos fuisse saepius vidimus: etenim siquid novis rebus in eorum fortuna mutatur, id non facile in pejus mutari posse intelligunt. Quam usu comprobatam sententiam toto hoc capite uberius Sallustius enuntiat.

Adscribam hic declamatiunculam, qua sibi illustrandum esse hunc locum arbitratus est *J. Koenders* (in editione sua Trajecti ad Mosam MDCCCXXVIII. 8.); multos enim fore credo his maxime temporibus, qui lubenter legant. »*Boni,* inquit, de goeden of weldenkenden »zyn volgens het taalgebruik van Sallustius alle menschen te Rome, die door geboorte of »vermogen of door beiden tevens aanzienlyk waren, en die gevolgelyk veel belang moesten »stellen in de bewaring der rust en van de voortduring des bestaanden regeringsvorms; wyl »deze hun het ongemoeide genot hunner rykdommen en de uitsluitende bezitting van alle

»hooge staatsambten verzekerde. *Mali* werden naar het zelfde taalgebruik degenen genoemd, »die zich zonder de genoemde geluksgaven zochten te verheffen, en onder welke inderdaad »vele *woelgeesten* gevonden werden. Maar wanneer wy Cicero in zyne redevoeringen open- »lyk horen verklaren, dat die zo genoemde *boni* in de toomlooste weelde gedompeld waren, »dat zy de bondgenooten plunderden en mishandelden, dan vragen wy onwillig byna, hoe »durfden zy dan de overigen *malos* of slechten noemen? Met datzelfde regt, waarmede de »franche edellieden voor dezen de burgers *les vilains* of het gepeupel noemden.« Hactenus ille; nobis autem ad tractandos proxime sequentes locos pergendum.

Turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. — Similiter supra cap. XIV. *quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat.* Cfr. quae ibi attulit *Cortius.* Cur autem hi homines *sine cura* esse possint, ejus rei causam statim subjicit Noster, *quoniam egestas facile habetur sine damno:* quae verba Cl. *Langius* ut male suspecta habuit, ita non omnino recte interpretatus est, »quoniam egeni in turbis facile inveniunt quod ad vitam sus- »tentandam satis sit, nec habeant (habent) quod perdere possint.« Haec scilicet explicatio in eo peccat, quod nimium dicit; quodsi *Langius* in posteriori explicationis parte se continuisset, »quod non habent quod perdant«, sane propius fuisset vero, ut mox videbimus. Caeterum Cl. *Langius* quod locum a glossatore interpolatum esse suspicatur, in eo merito reprehensus est a *Kritzio* et, quod ex *Kritzii* annotatione vidi a *Frotschero* Obss. in Sall. p. 15. Equidem omnino nescio quae tanta hujus loci difficultas effecerit, ut in eo explicando tam multi fuerint interpretes: etenim sensus planus esse videtur: *egestas* pro *egeni* dictum, ut sit *egeni non facile damnum experiuntur.* Similiter *Dahlius* Animadvv. in Sallust. Cat. (Brunsuic. 1780) »quonium in egestate sua non multum damni accipere pos- »sunt;« item *Cortius* »quoniam egenus quilibet esse potest sine metu damni,« qui idem et alia laudat et *Petronii* illud CXIX *inops audacia tuta est.* Bene locum Gallice reddit *Mollevaut* (Paris 1813) *et se nourissent sans crainte de troubles et de séditions; des misérables n'ont rien à perdre.* Sic autem *habetur* idem est atque *natura sua est,* ut cap. I *virtus clara aeternaque habetur*, i. e. *virtus natura sua est clara atque aeterna.* Hunc locum ut perperam intellexit *Kunhardtius*, qui »Non habetur, inquit, seu ducitur »tantum, sed revera est praeclara,« ita exemplis non omnino aptis illustrare conatur *Cortius;* at egregie, ut solet, *Herzogius* inter alia ita disputat: »Uebergetragen auf das *We- »sen* und *Seyn* eines Dinges bezeichnet *haberi* nicht die *concrete Realität,* sondern das »*innere selbstständige* Bleiben und Verweilen in einem Zustande durch eigene Kraft.« Quo

nihil potest dici verius illo certe loco, ubi virtus *concreta*, quam dicunt, profecto non potest aeterna dici, propterea quod nemo adest aeternus virtutis possessor. Cfr. etiam *Kritz.* ad cap. VI verba, *sicuti pleraque mortalium habentur*, quibus verbis idem dicitur ac si scriptum esset: *quae est propria quaedam rerum humanarum natura.* De nostro autem loco, in quo tractando versamur, non ita recte disputatum esse putem a Cl. *Kritzio*, qui exponit, *habetur* idem esse ac *toleratur*, verba *sine damno* solvens *nullo ex ea re damno oriente.* Hac explicatione non video quomodo sensum commodum et toti Sallustiano loco accomodatum obtineam: etenim id solummodo ea efficitur, egestatem tolerari propterea facile posse, quod ex seditionibus et turbis nullum ipsi damnum oriatur; cui sententiae quam multum vel quam parum veri insit, in medio relinquemus: at Sallustio nostro minime docendum erat, quam ob causam egestas facilius difficiliusve tolerari possit, verum id solum ostendendum, quam ob causam illi, quibus opes nullae sunt, in turbis et seditionibus *sine cura* sint; haec autem causa in eo sita est, quod *egeni non facile, damnum experiuntur*, sive *quod egestas natura sua damno non facile obnoxia est*, qualem paulo superius loci sensum exposuimus.

Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat. — Ad verba *praeceps ierat* *Kritzius* reprehendit interpretes, qui eorum sensum non assecuti sint. Sed miror, Viro Doctissimo non placuisse *Kunhardti* interpretationem: *temere sine consilio et ratione in partes Catilinae transierat*, quae eadem est interpretatio *Bipontinorum*, qui, Sallustii verba *ἑρμηνεύοντες*, adscribunt: *in Catilinae partes.* Scilicet *praecipitem ire* et propria et tralata significatione est vehementiori impetu aliquo ferri, ut neque contineri motus neque regi certa voluntate possit. Quam quidem notionem furibundae plebis ingenio unam in paucis convenire quilibet facile concedet. Sed magis etiam miror *Kritzium*, dum ipse verba *praeceps ierat* intelligit de corruptis perditisque plebis moribus, reprehendere tamen *Herzogium* Germanice interpretantem: *das Volk war tief gesunken*, quod scilicet Sallustius non dicat qui sit status plebis, sed quibus rebus ad eum statum plebes perducta sit. Equidem confiteor me non attingere, qua ratione amborum virorum interpretationes inter se tantopere differant, ut, si consentirem cum altero, dissentire ab altero possem. At in verbis *praeceps ierat* propterea etiam de perditis moribus cogitari non posse videtur, quod ipsi perditi mores in primariis statim recensentur causis, cur plebes urbana praeceps ierat. Nam qui statim memorantur flagitiosi et omni probro insignes homines, qui Romam sicuti in sentinam confluxerint, de his non ita cogitandum est, quasi ex Sallustii sententia exstiterint plebis urbanae corruptores; verum ita, ut sint ipsi eo tempore perdita illa, quae hoc

loco describitur urbana plebes, ob ipsam suam perditionem morumque incredibilem plane corruptelam ad immane quodque consilium ineundum parata. Quod autem a reliquis interpretibus omissum leviter tetigit *Langius*, et quod ad confirmandam *Kunhardti* et *Bipontinorum* interpretationem maximi momenti esse videtur, verba *urbana plebes* respicere jubent ad alia illa, *cuncta plebes*, quae ineunte hoc capite leguntur: etenim *Urbana plebes* magna cum vi orationis opponitur *Cunctae plebi*, id quod et adversativa particula *sed*, et ἐμφατικῶς subjunctae particulae *ea vero* satis indicant. Quae cum ita sint, hunc putaverim esse loci sensum: *ut omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat, ita praecipue urbana plebes propter perditissimos mores sese, vehementi impetu ruens, in partes ejus conjecerat* (praeceps ierat). Vid. *Drakenborch* ad Liv. XXX. 14, 10. Caeterum siquis, quod mihi non ita pridem accidit, populares motus ipse oculis suis vidit, facile perspexerit, id esse universorum quidem plebejorum hominum ingenium, ut sint novarum rerum cupidi, et ex mutationibus commodum sibi oriturum sperent, sed illam tamen plebejam faecem, quae in urbibus miseram sordidamque sive turpem atque inhonestam vitam degit, hanc, inquam, in eo maxime cerni urbanam plebem, quod nihil curans nec quidquam humani neque divini metuens effrenata libidine et insano furore se ad pessima quaeque abripi patiatur.

Juventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat. — De scriptura omnia certa sunt. De loci sensu silent ii etiam interpretes, qui alias accuratius omnia exponere solent. *Herzogius*, quantum ex ejus Germanica interpretatione vidi, intelligit, juvenes, qui ruri manuum opera probabilem sibi victum comparaverant. Simile quid *Cortius*, qui verba *inopiam toleraverat* explicat *pertulerat, inopiae satisfecerat.* Ita autem Cortium fugisse videtur, se duas easque longe diversas explicationes dedisse, quae adeo inter se pugnant, vel alteram altera tollunt: etenim, qui inopiae satisfecit, ille aufert inopiam, neque amplius perfert; ubi autem perfertur inopia, ibi inopia adest, neque ipsi satisfactum est. Nec quidquam juvant Cortium sua, quae attulit, exempla, in quibus *tolerare* fere idem sit atque *perferre* aut *satisfacere;* namque ubi satisfaciendo non tollitur notio illius rei cui satisfit, sane haec res perferri iidemque satisfieri simul potest. Et est haec ratio exemplorum a Cortio allatorum, v. g. Sallust. *Cat.* cap. XXIV. *ingentis sumtus* stupro corporis *toleraverant.* Tacit. Annal. XI. 7 multos militia quosdam colendo agros *tolerare vitam.* Liv. XXVI. 40 per latrocinia ac rapinam *tolerantes vitam.* Diversus ab his est locus Vellej. Paterc. II. 19 *inopemque vitam* in tugurio ruinarum Carthaginiensium *toleravit*, ubi verbo *toleravit* nemo profecto *satisfaciendi*, verum solam *perferendi* notionem subjiciet. Plane diversi sunt loci ex Plaut. allati, *Trinum.* II. 2. 57., itemque

77 et 90, ubi *tolerare egestatem alterius* nihil aliud est, quam alterum adjuvando ejus egestatem ab ipso tollere et eam ferendam in se quasi suscipere: de quo sensu neminem credo, vel obiter Plauti locos inspicientem, dubitare. Si itaque Sallustiani loci, de quo agitur, hunc esse sensum statuamus: *juvenes qui manuum opera inopiae satisfecerant*, qui idem sensus cum *Herzogii* interpretatione consentit; in eo primum cernitur difficultas quaedam, quod *inopiam tolerare* idem sit atque *victum sibi quaerere*, quam horum verborum significationem non facile similibus exemplis confirmare me posse putem: deinde quum his verbis *quae m. m. i. toleraverat* Sallustius rationem quandam reddat, quamobrem juventus illa otium praetulerit ingrato labori, profecto non ita hanc rationem se reddere putaverit, si dicat, propterea juventutem praetulisse otium labori, quod labore inopiae satisfacere victumque sibi quaerere potuerit; sed contrarium prorsus dicendum esset, ut ratio quaedam efficeretur, quod scilicet inopiae satisfacere victumque comparare *non* potuerit, sive *vix* potuerit, propterea otium ingrato labori praetulisse. Denique quo labore inopiae consulitur, victusque comparatur, ille labor dici vix potest *ingratus*, quanquam nihil obstat, quominus idem dicatur molestus, gravis, injucundus: at ex quo commodum bonumve nascitur, id non videtur esse *ingratum*. *Mollevaut* Gallice interpretatur: *la jeunesse des campagnes qui vendait ses fatigues pour alléger sa misère*, quod et ipsum elegantius quam accuratius dictum est. Equidem ablativum *manuum mercede*, ut alios illos cap. XXXVI *duobus Senati decretis*, arbitror esse ablativum absolutum; utque cap. XXXVI *Kritzius* Germanice interpretatus est: *bei zwei Senatsbeschlüssen*, et accuratius etiam *Herzogius: ungeachtet der beiden Senatsbeschlüsse*, itemque Gallus interpres *malgré les deux décrets du Senat*, ita ego hoc loco vertam: *welche ungeachtet ihrer Hände Verdienst* (bei ihrer Hände Verdienst) *Mangel litt*, *qui malgré le travail de ses mains souffrait de la misère*. Ita autem simul facilius intelligitur, quo jure labor iste dicatur esse ingratus, quippe qui non suppeditet necessaria: neque jam mirabimur, istum adspernatam esse ruranam juventutem, quippe cui propositis largitionibus urbanum otium arrideret.

Eodem omnino sensu sumendi sunt ablativi cap. VI *dispari genere, dissimili lingua*, Germanice *ungeachtet ihrer verschiedenen Abkunft und ihrer verschiedenen Sprache*. Gallice *malgré la différence de leur origine et de leur langage;* ubi de vi ablativi mirum quoddam est omnium, quos video, interpretum silentium. Similiter Ovid. *Metamorph.* I 89 »Aurea prima sata est aetas, quae *vindice nullo* Sponte sua fidem rectumque colebat.« Deinde Noster *Cat.* cap. XI »L. Sulla . . . *bonis initiis* malos eventus habuit«, quem locum recte interpretatur *Kritzius:* sed idem non tam accurate redditit sententiam

Herzogii ad CAES. *De B. G.* II. 9., qui, siquidem ego recte video, minime docuit, »hos »ablativos propria sexti casus vi caussali esse explicandos.« Hoc igitur neque Herzogius docuit, neque fore credo, qui id docenti cuiquam crederet; verum id potius et scite et vere dictum est, cum plane multiplex sit apud Latinos sexti casus vis ac significatio, eum apud Caesarem l. l. ad reddendam rationem causalem usurpatum esse. Hanc vim causalem in nostris verbis *bonis initiis* nullam esse, quippe quae verba concessiva potius particula *ungeachtet, malgré* solvenda sint, non est quod moneam. Cfr *Herzog.* ad CAES. *De B. G.* IV. 20. col. VIII. 33. SALLUST. *Cat.* cap. XI extr. »nedum illi, *corruptis moribus*, »victoriae temperarent« ubi equidem verba *corruptis moribus* habeo pro abl. absol. *ungeachtet ihrer verdorbenen Sitten, malgré leur corruption;* quod *Gerlachio* quoque placuisse videtur, commate post *illi* posito. Quanquam nihil obstat quominus cum *Kritzio* dicamus hos esse ablativos praedicati, ad pronomen *illi* pertinentes. Similis fere est locus Caesaris *De B. G.* I. 16 »graviter eos accusat, quod . . . . tam *necessario tempore*, »tam *propinquis hostibus*, ab iis non sublevetur.« Neque aliter ablativus solvi potest *Jugurth.* XXXVII »magnis itineribus *hieme asperd* pervenit cet.«; et eadem denique vis est ablativi *Cat.* cap. XXXI. »quibus reipublicae *magnitudine* belli timor inso»litus incesserat:« quem locum ut recte defendit Cl. *Kritzius* a conjecturarum et perversarum interpretationum erroribus, ita tamen ne ipse quidem verum attigisse videtur. Cum enim iterum de vi causali illa cogitaret Vir Doctissimus, ablativum *magnitudine* solvit *propter reipublicae magnitudinem.* Pejus etiam fecit Gallus interpres: *que la puissance de l'empire sauvait des terreurs de la guerre;* at bene *Herzogius*: *die bei* (i. e. *ungeachtet*, si modo ita intelligit Vir Doctus) *der Gröſse des Staates eine ungewöhnliche Furcht von* (legendum *vor*) *dem Kriege befallen hatte.* * Quanquam non infitior, posse locum istum ex Kritzii mente quodammodo explicari, ita scilicet ut, verbis *reip. magnitudine* ad solam vocem *insolitus* licet paulo durius relatis, hoc modo enuntiatio solvatur: *quibus incesserat belli timor, qui timor propter reip. magnitudinem Romae insolitus erat.* Non aliter Sallustium intellexisse videtur *Goerenzius*, qui ad CIC. *De Legg.* III. 9.

---

* Numquid fortasse his Ablativis, particula concessiva solvendis omnino, similem esse dicamus Dativum illum παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ apud Thucyd. I. 20 init.? ubi verba τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι ita verto: *Res antiquas tales esse cognovi, omni licet deinceps allato testimonio difficiles creditu,* Germanice *schwer zu glauben, ungeachtet aller beygebrachten Beweise,* Gallice *difficiles à croire malgré toutes les preuves que j'en ai successivement alléguées.* Cfr. Poppo et Interprett. ad. h. l.

11 laudat Cortium ad h. l. Illo certe Ciceroniano loco, »Pompejumque nostrum, *ceteris* »*rebus omnibus* semper amplissimis summisque effero laudibus,« item Or. pro Mur. X. 23 »*Aliis* ego te *virtutibus* . . . . *ceteris omnibus* consulatu . . . . dignissimum judicavi,« ubi vid. *Matthiae; De Legg* I. 15. 43 »caerimonias religionesque . . quas non *metu* sed *ea* »*conjunctione*, quae est homini cum Deo, conservandas puto;« et Liv. XXX. 10. 15. »inhi»bere saepe tela cogebant; metu ne *ambiguo ictu* suis inciderent«; his locis, inquam, manifesta est ablativi absoluti vis causalis. Cfr. etiam quos laudavit *Herzogius* ad Caes. *De B. G.* II 9. *Kritzius* et *Cortius* ad h. l. *Matthiae* l. l. Paulo diverso sensu solvendi alii passim similes ablativi absoluti, veluti Sallust. *Cat.* XXXIX *dubiis rebus; ibid* XLVI extr. *magna frequentia* ejus ordinis; Sallust. *Frag. Hist.* I p. 934. (Cort.) *secundis rebus*; Caes. *De B. G.* I. 18 *imperio* P. R. ibid. VII. 20 et 41 * *discessu*, ibid. 36 *silentio noctis.* Liv. XXX. 11, 5. »*Exercitu* haud *minore* quam quem »prius habuerat, ceterum *omni* prope *novo* atque *incondito*, ire ad hostes pergit.« Sed haec sufficiant.

Superest, ut paululum respiciamus ad verba, unde haec nostra disputatio orta est, paucis scilicet monituri, qua ratione et inter se singula cohaereant, et cum praecedentibus et cum sequentibus enuntiatio tota contineatur: *Praeterea juventus quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnes malum publicum alebat.* — Pro vulgato *praetulerat* Cortius ex uno cod. Guelferbytano 3. edidit plur. numerum *praetulerant*, eumque imitati sunt *Bipontini*. At *Herzog* habet singularem numerum, quem contra Cortium defendit *Kritzius*. Idem proxime sequentia verba, *eos . . . . alebat*, ita conjungit cum praecedentibus, ut statuat, *juventus* esse nominativum absolutum, sequente tamen verbo (*alebat*) quod non nominativum sed accusativum postulet: quare Sallustium constructionis expediendae causa pronomen (*eos*) plurali numero, sensum potius quam verba spectantem intulisse. — Est apud me tanta, quanta potest esse maxima Kritzii auctoritas, ea certe, ut nisi timide

---

* Verbo monendum est de hoc Caesaris loco, quem singulari quodam modo explicat *Moebius*. Caesaris verba haec sunt: *Fabium discessu eorum, duabus relictis portis, obstruere caeteras*; in quibus errare putaverim Virum Doctum, verba *duabus relictis portis* explicantem: „*i. e. a destructione integris*"; etenim cogitari vix potest hostes destruxisse portam unam alteramve, neque tota castra expugnasse. Imo *duas portas relinquere, obstruere caeteras* nil aliud est quam duas solummodo portas non obstruere, verum obstructis caeteris has duas ad usum ingredientium et exeuntium servare.

multaque cum verecundia a Praestantissimo Viro non dissentiam. Doctum et longe diligentissimum sese praebuit Sallustii interpretem egregia illa, quam adhuc curavit editione libri De Conjuratione Catilinae, quam editionem Catilinae ut brevi sequatur Jugurtha, nemo est bonarum literarum amans quin vehementer cupiat. Sed eundem illum ut judicem severum ita elegantem pulchri verique spectatorum cognovi tum ex ipsius commentatione de opere Debrossiano, tum vero ex censuris omni numero absolutis, quibus de Gerlachii et Herzogii in Sallustium meritis itemque de Fragmentis Sallustianis, quae ante hos quatuor annos Luneburgi edita sunt, suam dixit probavitque sententiam (Cfr. Jahn Annal. Philolog. et Paedagog. Vol. 10 Fasc. 1. p. 31 — 91). Nihil dicam de Viri sensu musico aut de eximia et rara quadam artis musicae peritia, neque de reliquis elegantioris et cultioris vitae dotibus, quod fore existimo, qui haec omnia ab hoc loco aliena esse querantur. Haec itaque tanta Viri praestantia deterrere aliquem posset, quominus libere suam ab ipsius diversam sententiam profiteretur, nisi altera ex parte ea, de qua ad me fama perlatum est, insignis quaedam humanitas ad aperte dicendum omnia invitaret. Quae de Kritzio mei excusandi causa modo scripsi, ut scripsi libenter et ex animi sententia, ita quod contigerit mihi haec scribendi occasio mihi gratulor. — Dicam igitur, frustra questum esse Kritzium, quod nemo interpres viderit, *juventus* esse nominativum absolutum. Id scilicet nemo profecto videbit, nisi ei accidat, quod hic accidisse Kritzio videtur, ut plana atque facilia verba scriptoris ipsa sua interpretatione impediat: etenim *juventus* est nominativus, neque absolutus ille, sed pertinet ad verbum *praetulerat*, nimirum *juventus urbanum otium praetulerat ingrato labori;* quod cur juventus illa fecerit, ejus rei causa continetur interposita enuntiatione *quae i. a. m. m. inopiam toleraverat.* Post vocem *praetulerat* cum recensione Gronoviana (ed. *Ant. Thysius* Lugd. Batav. 1665), cum Cortio, Bipontinis, aliis, ponendum est majus distinctionis signum; nam verba *eos .... alebat* non ad solam vocem *juventus* respiciunt, sed ad omnia genera potius perditorum de plebe hominum, quae modo Noster enumeravit, et quae pronomen *eos* simul complectitur. Nimirum postquam Sallustius plebem urbanam praecipitem iisse ad partes Catilinae, idque multis de causis fecisse narraverat; causas istas ab ipsa plebis urbanae tunc temporis indole ac conditione repetit. Quamobrem tres maxime ejus classes diligenter distinguit, quarum prima complectitur insignes omni turpitudine homines: haec autem et ipsa classis in tria quodammodo genera tribuitur, quorum primum dedecore famosum, alterum patrimonio amisso miserum, tertium flagitiis domo expulsum esse dicitur. Hac classi cum diversis generibus satis accurate descripta, Sallustius pergit ad alteram classem, cui tribuit eos, qui Sullanarum victoriarum memores et novis rebus spem in-

gentem conceperant: tertia denique classi complectitur juventutem agrestem, quae inops, ingrati laboris taedio, allecta largitionibus, ad fruendum urbano otio Romam confluxerat. His recensitis classibus, atque particulis *Primum omnium*, *Deinde*, *Praeterea* accurate enumeratis, Crispus, quae de plebis urbanae ingenio et conditione dicenda erant, se satis dixisse existimat. Sed antequam pergit ad alios ordines hominum, qui iidem, a plebe diversi, Catilinae favebant, ad universos prius urbanae plebis homines respiciens, *eos*, inquit, *atque alios omnis*, qui scilicet, quamvis de plebe urbana, tamen his classibus non continentur, *malum publicum alebat*. Quae verba quasi per epexegesin dicta bene neque tamen satis accurate reddit Gallus interpres: *ainsi le malheur public les nourrissait tous.*

THUCYDIDES

I. cap. 6.

σημεῖον δ' ἐστὶ ταῦτα τῆς Ἑλλάδος, ἔτι οὕτω νεμόμενα, τῶν ποτὲ καὶ ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων. — Non videtur locus iste ulla sive obscuritate sive difficultate laborare, nec quidquam opus esse, pro *ταῦτα* cum *J. Reiskio* *τά*, sive cum *D. Wyttenbachio* Ἐκλογ. Ἱστορ. (ed. I Amstelod. 1793, ed. II 1807, ed. III 1820, ed. IV Lipsiae 1827) *ἄττα* conjicias. Neque magis tolerandum videtur adjecto articulo legere *τὰ ἔτι οὕτω νεμόμενα*: namque participio indicatur ratio quaedam, quamobrem *ταῦτα* possint haberi *σημεῖον τῶν ποτὲ καὶ ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων*, ut sensus sit: *quae cum adhuc ita se habeant, satis indicant cet.*, quae vis causalis participii, adjecto articulo, nulla est. Deinde Virorum Doctorum judicium esto, numquid fortasse et ab *Aemilio Porto*, qui *ταῦτα* per *Graeciae populi* reddit, et a Cl. *Poppone*, qui *hae Graeciae partes* vertit, paululum recedere liceat? Equidem, si modo Docti concedant, *ταῦτα* paulo latiori notione intelligam, et Latine item neutro plurali pronominis vertam, *illa*, ad ea referens, quae extremo capite V narrat Thucydides, vel suo ipsius tempore apud Locros Ozolarum, Aetolos, Acarnanes, alios et praedationes superesse et a veteribus inde latrociniis armorum gestandorum consuetudinem. Genitivum *τῆς Ἑλλάδος* maluerim pendere a sequenti *τῶν διαιτημάτων*, atque quodammodo per antiptosin (*Ramshorn* Gram. Lat. §. 206. A. 5. p. 698) huc ad nomen *σημεῖον* propter vim enuntiationis esse tralatum. Vertam igitur Latine: *illa autem cum adhuc ita se habeant, satis indicant, apud omnes etiam eadem quondam fuisse Graeciae instituta vivendi.* Ejusmodi autem nominis translationes

apud Graecos itemque Latinos scriptores longe sunt frequentissimae: pauca exempla, quae ad manum sunt, adscribam: Thucyd. I. 61 Ἦλθε τοῖς Ἀθηναίοις εὐθὺς ἡ ἀγγελία τῶν πόλεων ὅτι ἀφεστᾶσι. I. 93. καὶ δήλη ἡ οἰκοδομία ἔτι καὶ νῦν ἐστιν, ὅτι κατὰ σπουδὴν ἐγένετο. Plat. *Euthyph.* cap. VI p. 5. E. ἐρῶ τεκμήριον τοῦ νόμου ὅτι οὕτως ἔχει. cap. VII p. 6. D. ἐδίδαξας τὸ ὅσιον ὅ,τί ποτ' εἴη. cap. XV p. 13. A. τὴν θεραπείαν οὔπω ξυνίημι ἥντινα ὀνομάζεις. Isocrat. *Panath.* XIX πάντες ἴσασι τὰς πόλεις . . . ὅτι παραμένουσι. *Paneg.* XXII. m. Xenoph. Mem. I. 3. 2. I. 3. 8. Sexcenties in N. T. v. g. *Ev. Joan.* cap. 9. Ex Latinis scriptoribus exempla, ut illud Terent. *Eun.* V. 8. 5. *Scis me in quibus sim gaudiis*, et Cic. *Ad Div.* VI. 1 *rem video quomodo se habeat*, vid. apud Ramshornium l. l. cfr qui ex utraque lingua multa collegit exempla *Dawes* ad Cic. De N. D. I. 26.

Ibidem.

καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων, διὰ τὸ ἁβροδίαιτον, οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες κ. τ. λ. — Verba διὰ τὸ ἁβροδίαιτον *Aem. Portus* videtur ad praecedentia retulisse; vertit enim *qui de senioribus, propter delicatum vitae genus erant beatiores.* Equidem Porto hanc suam interpretationem lubens relinquam. Iisdem verbis ad sequentia relatis, diversum existere sensum, prout ea vel cum οὐ πολὺς χρόνος, vel cum ἐπαύσαντο, vel cum φοροῦντες jungantur, adnotavit Cl. *Poppo.* Singularum rerum, quae hoc capite a Thucydide narrantur, hic fere nexus est: »Omnes Graeciae populi antiquitus barbarorum more ar-»ma gestabant. In his Athenienses primi fuerunt, qui arma deponerent, et ad vitam delica-»tiorem transirent: senes autem opulentiores apud Athenienses non ita pridem lineis tunicis »uti et capitis comam molliori quodam cultu religare et ornare desierunt. Apud Jones hic »idem cultus propter generis cognationem diu viguit; Lacedemonii autem primi modica veste, »quae ad hujus aetatis modum proxime accederet, utebantur, et omnino in reliquo quoque »vitae cultu aequabilitatem quandam plebis et ditiorum servabant.« Reliqua omitto, quia haec ad locum nostrum explicandum sufficiunt. Apparet, Thucydidis mentem paucis verbis ita esse reddendam: »Graeci antiquitus vitam rudem agebant, deinde ad vitam mollem et effoe-»minatam transierunt, qua sensim mutata ad hodiernam denique vitam pervenerunt; ut autem »ad mitiorem cultum Athenienses duces exstiterant, ita Lacedaemonii modicum illum et aequa-»biliorem primi erant qui tuerentur.« Quod itaque Noster de lineis tunicis Atheniensium dicit, ejus sententiae momentum omne in eo spectatur, quod ejusmodi tunicas Athenienses reipsa gestare aliquando consueverint, quippe hinc utique desumi potest vitae mollioris argumentum; neque vero ullius omnino momenti, ad praesentem certe quaestionem, esse vide-

tur, quod lineas tunicas gestare desierint, et multo minus etiam quaeritur, quam pridem vel quam sero desierint. Si igitur verbis διὰ τὸ ἁβροδίαιτον ratio reddi possit, quare vel *gestatae sint* lineae tunicae, vel gestari *desierint*, vel *non ita pridem* desierint, Thucydideae concinnitatis id potius esse videtur, ut, relictis minoris sive nullius momenti rebus, rei majoris rationem illis verbis subjiciat, quam ut a potiori orationis suae sententia ad minora stabilienda legentium attentionem inutili adjecta ratione distrahat. Verum enim vero ad scriptoris mentem attingendam non est docendum solummodo, quid scribere eum oportuerit, id quod in tanto praecipue scriptore, quantus est Thucydides, ridiculum foret, ne dicam absurdum, sed videndum etiam, quid reipsa scripserit, sive quis possit ex ejus verbis sensus probabilis effici. Et sane verba διὰ τὸ ἁβροδίαιτον, si ad grammaticam structuram spectes, proxime pertinere dicas ad οὐ πολὺς χρόνος, ut sensus sit: *propter molliorem vitam non ita pridem lineas tunicas ferre desierunt:* verum cum antea dixisset Noster, veteres Athenienses ad lautius quoddam vivendi genus transisse, dicendum deinde prius erat, eos tulisse ejusmodi tunicas, antequam de tempore diceret, quo tempore ferre desierint: sin vero verba διὰ τὸ ἁβροδίαιτον cum ἐπαύσαντο conjungas, quod et idem grammatica ratione fieri posse, docte, ut Vir ille solet, monuit Poppo, verbis scilicet οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδή mediae orationi, nihil mutata structura, insertis, ut sensus sit: *non ita pridem lineas tunicas ferre propter delicatam vitam desierunt;* in eo primum cernitur difficultas quaedam, quod delicata vita in causis fuerit, ut lineas tunicas ferre desierint; id quod non facile quemquam dixisse putem, quippe lineis tunicis non ad vitam rudem et incultam, sed ad remissiorem potius et lautiorem pertinentibus: deinde, si concedamus maxime, lineas tunicas propter delicatum vitae genus ferri desiisse, et molliori etiam vestitu commutatas fuisse, novum tamen statim dubium inde oritur, quod ad verbum ἐπαύσαντο non unum participium φοροῦντες pertinet, sed alterum etiam ἀναδούμενοι, quod mox sequitur; quae quidem res efficeret, ut non solum lineas tunicas ferre, verum etiam comam molliori illo et exquisitiori cultu religare auroque exornare *propter delicatam vitam* desierint. Postremo, missis his omnibus, maxima difficultas ex temporum ratione oritur: etenim si interpretamur, Athenienses non ita pridem propter delicatam vitam desiisse lineas tunicas ferre, scilicet, ut Popponis utar verbis, quae ille declarandae sententiae causa adjecit, »delicatam vitam, quam degere incipiebant, id effecisse«; apparet, Thucydidem dixisse, vitam barbaram, rudem illam et incultam, in qua deserenda primi erant Athenienses, apud Graecos eodem fere tempore desiisse, quo tempore Athenienses lineas tunicas deponerent: has autem depositas non ita pridem (οὐ πολὺς χρόνος

ἐπειδὴ) fuisse dicit; unde sequeretur, non ita pridem fuisse tempus illud, quo a barbarie Graeci transierint ad mollitiem. In molliori vita deserenda et in modico et aequabiliori cultu tuendo duces deinde exstiterunt Lacedaemonii, quos itaque multo recentiori etiam tempore ad illam aequabilitatem modicumque cultum pervenisse necessario concedendum esset. At quis tandem hoc concedat, nisi qui Lycurgi leges et Lacedaemoniorum *τὴν παλαιὰν σκληρότητα* penitus obliviscantur? imo quis concedat, Thucydidem dixisse, non ita pridem suos cives incultam vitam deseruisse, nisi qui Solonis, Pisistrati, Themistoclis et divinorum Poëtarum Rhetorumque, qui diu ante eum Athenis floruerant, nisi qui aeternae etiam ex Persicis bellis partae gloriae eum hoc loco oblitum esse statuant? His itaque omnibus ego inducor ut credam, verba *διὰ τὸ ἁβροδίαιτον* cum *ἐπαύσαντο* conjungi nullo modo posse. At video tamen Clarissimum Popponem ita conjunxisse. Et mihi quidem in ejus libro legenti, *quam secundo loco posuimus explicationem omnium optimam judicamus*, statim in mentem venit, *secundo* a Viro Egregio scriptum esse calami lapsu, atque *tertio* legendum esse; donec in ADDENDIS legerem: »*Διὰ τὸ ἁβροδ.* cum *φοροῦντες* jungi vult Arnold.«, unde de Viri errore, qui mihi videtur, tandem mihi persuasum erat. Cum autem arbitrarer, erratum esse a Viro, cujus tam magna sunt in Thucydidem merita, meum esse duxi, ut, siquid diversae sententiae proponerem, id reverentia Viri, licet fortasse multis verbis, quam possem tamen accuratissime facerem. Equidem igitur Scholii Cassellani Cod. »*ὑπερβατὸν, διὰ τὸ ἁβροδίαιτον*«, vestigiis insistens, sane credam, has voces esse trajectas et cum *φοροῦντες* jungendas, deinde vero insigni quadam breviloquentia duas easque diversas sententias in unam enuntiationem esse contractas. Quibus diligenter distinctis dicendum est: *καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων διὰ τὸ ἁβροδίαιτον χιτῶνάς τε λινοῦς ἐφόρουν καὶ .... ἀνεδοῦντο ... τριχῶν, καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ ἐπαύσαντο.* Quam duplicem sententiam una enuntiatione recte reddit Popponis interpretatio: *non multum temporis praeteriit, ex quo, quas adhuc delicatioris vitae causa gestaverant tunicas, deposuerunt.* Ceterum quod Poppo dicit in adnotatione ad Scholion, in opulentis potissimum seniores, ut solent prisca probare, veteris moris et splendidi simul ac barbarici vestitus tenacissimos fuisse, eo nil dici verius potest.

I. cap. 10.

τῇ Ὁμήρου αὖ ποιήσει εἴ τι χρὴ κἀνταῦθα πιστεύειν. — Quemadmodum praecedens infinitivus *νομίζειν* pendet a voce *εἰκός*, ut *νομίζειν δὲ* interpretandum sit *ἀλλ' εἰκός νομίζειν*; nonne ita fortasse infinitivum *πιστεύειν* ab eodem illo, quod ad *νομίζειν* supplendum erat, *εἰκὸς* pendere dicamus? Scilicet verbis *εἴ τι χρὴ*, nihil mutata

structura, mediae orationi interjectis, hic fere totius loci sensus efficeretur: *verum consentaneum est, ut credamus, illam expeditionem antiquioribus longe majorem, hodiernis minorem fuisse, Homeri vero carminibus, siquid omnino his credendum est, hac quoque in re fidem habeamus.* Et sunt sane quaedam, quae hanc interpretandi rationem commendare videantur: etenim postquam Thucydides accurata et satis magnifica argumentatione ostendit, quantis erroribus obnoxii sint increduli illi, qui, spretis traditionibus, a civitatum facie externa de earum potentia judicare se posse putent; hanc inde conclusionem efficit, non esse consentaneum, ut quis incredulus sit, neque ut ad civitatum faciem externam potius quam ad potentiam respiciat. Et his quidem duabus rebus, quae consentaneae non sint, continetur pars prior conclusionis, iisque parte altera respondent duae item res, quae maxime sint consentaneae, ut quis existimet, magnam sane fuisse expeditionem Trojanam, et carminibus Homericis fidem habeat. Facile autem apparet, hasce duas res, quarum notio definita est et angustior, duabus illis, quarum notio latius patet et quodammodo generalis est, diligenter opponi, ut incredulitati illi fides habita Homero, perversae illi civitatum dijudicandarum rationi magnifica quaedam de rebus Trojanis sententia accurate respondeat. Porro cum Thucydides ineunte hoc capite dixisset, suo judicio perperam facere eos, qui poëtarum de rerum vetustarum magnitudine testimonium et traditiones in dubium vocarent, hancque suam sententiam longiori argumentatione probasset; non poterat, credo, effecta conclusione dicere, *si Homero in his quoque fides habenda est*, ut vulgo locum interpretantur, ipsumque etiam intellexisse Popponem video ex ejus *Argumento* cap. IX — XI, sed fidem Homero habendam esse ut ex argumentatione sequebatur, ita tanquam pars conclusionis declarandum erat. Additis autem verbis εἴ τι χρὴ indicatur quodammodo, si fides Homericis carminibus non possit penitus negari, consentaneum esse, ut in hac quoque re iisdem credatur. Denique duo supersunt, quibus inducor ut credam, infinitivum πιστεύειν pendere a voce εἰκός: alterum, quod minus esse existimo, verborum ordo, quo verba τῇ Ὁμήρου αὖ ποιήσει cum vi quadam in principio enuntiationis ponuntur, quae et ipsa vis adjecta voce αὖ mirum quantum augetur; ex vulgari interpretatione scribendum potius fuisse videtur εἴ τι χρὴ τῇ Ὁμ. ποιήσει κἀνταῦθα πιστ. Deinde, de particula καί in κἀνταῦθα, quanquam hanc in vulgari interpretatione ad verba capitis IX ὡς Ὅμηρος τοῦτο δεδήλωκεν longius referri posse scio, attamen, quae est mea interpretatio, multo facilius et fortasse elegantius eadem particula verbis εἴ τι χρή respondet. At, quod majus esse videtur, meque praecipue movet, enuntiatio haec *consentaneum est fidem habere Homero* Graecis, tanquam res perpetua neque momentanea, dicitur infinitivo praesentis temporis, ut hoc loco

εἰκὸς πιστεύειν; sed in hac enuntiatione *consentaneum est existimare . . ., si Homero in hac re fides habenda est*, ubi scilicet incboata et semel tributa fides efficit, ut consentaneum sit existimare, in ejusmodi itaque enuntiatione de uno fidei habitae sive tributae momento Graecis aoristo utendum fuisse putaverim, εἴ τι χρὴ πιστεῦσαι, ut similiter legimus infra cap. XX init. χαλεπὰ ὄντα πιστεῦσαι et supra cap. I extr. σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει.

I. cap. 17.

Οὕτω πανταχόθεν ἡ Ἑλλὰς ἐπὶ πολὺν χρόνον κατείχετο, μήτε κοινῇ φανερὸν μηδὲν κατεργάζεσθαι, κατὰ πόλεις τε ἀτολμοτέρα εἶναι. — De verbis ἀτολμοτέρα εἶναι varie dubitatum est, cfr. *H. Stephan.* ad h. l. et ad Schol. et *Poppo* ad h. l., cui nemo non facile consentiet scribenti, »locum falsam sen»tentiam praebere, si ἀτολμοτέρα εἶναι arcte cum κατείχετο jungamus, et negandi parti»culam in μήτε atque μηδέν, ut saepe post verba impediendi, redundare existimemus«: id quod item sensit *Stephanus*, qui, si infinitivus εἶναι verbo κατείχετο eadem ratione subjungeretur quam prior ille κατεργάζεσθαι, recte docet, pro ἀτολμοτέρα usurpandum fuisse verbum contrariae plane significationis, ut τολμᾶν aut εὔτολμον εἶναι. At eadem ratione nihilominus verbo κατείχετο subjunctum esse utrumque infinitivum indicant copulativae particulae μήτε et τέ, quae accurate sibi respondent, ut οὔτε . . . τέ infra cap. 99. οὔτε ξυνεστράτευον ἀπὸ τοῦ ἴσου, ῥάδιόν τε προάγεσθαι ἦν αὐτοῖς τοὺς ἀφισταμένους. DEMOSTH. *Olynth.* I. §. 10 p. 12 (Reiske) τὸ δὲ μήτε πάλαι τοῦτο πεπονθέναι, πεφηνέναι τέ τινα ἡμῖν συμμαχίαν κ. τ. λ. Cfr. *Stallbaum.* ad PLAT. *Sympos.* cap. 39 p. 223 D.; quam eandem constructionem particularum *neque . . . et* sive *neque . . . que*, vel *et . . . neque* Latinis scriptoribus maxime familiarem esse nota res est: Cum itaque copulativis particulis μήτε . . . τέ satis indicetur, eadem ratione a verbo κατείχετο pendere infinitivum utrumque; attamen noluerim equidem supplere particulam ὥστε, qua isti infinitivi explicentur, quod reipsa, monente Poppone, non apparet, quo jure haec particula omitti potuerit: verum putaverim, verbum κατείχετο esse absolute summendum, scilicet *continebatur* i. e. *depressa tenebatur, ut assurgere et augeri non posset*, Germanice cum Poppone *es wurde niedergehalten:* deinde huic verbo infinitivos absolute subjunctos esse per epexegesin, qua declaretur, quid depressio illa Graeciae effecerit, sive quibus sese rebus manifestaverit. Similiter per epexegesin explicandum esse existimo infinitivum φέρειν infra cap. 99 οἱ πλείους αὐτῶν . . . χρήματα ἐτάξαντο, ἀντὶ τῶν νεῶν τὸ ἱκνούμενον ἀνάλωμα φέρειν, ubi verbis τὸ ἱκν. ἀναλ. φέρειν accuratius declarantur verba χρήματα ἐτάξαντο. Sic apud

HOM. *Odyss.* I. 89 sq. καὶ οἱ μένος ἐν φρεσὶ θείω, Εἰς ἀγορὴν καλέσαντα καρηκομόωντας Ἀχαιούς, Πᾶσι μνηστήρεσσιν ἀπειπέμεν, ubi infinitivus ἀπειπέμεν explicat verba οἱ μένος ἐν φρεσὶ θείω. ISOCRAT. *Paneg.* cap. 10. ἀλλ' ἀρχὴν μὲν ταύτην ἐποιήσατο τῶν εὐεργεσιῶν, τροφὴν τοῖς δεομένοις εὑρεῖν, ubi non recte perspecta infinitivi ratione epexegetica *Augerus* et *Morus* pro infinitivo εὑρεῖν desiderant participium εὑροῦσα, contra quos infinitivum recte defendit *Corayus* allatis similibus locis Evagor. cap. 11 et Busir. cap. 6 extr. In *Panath* cap. 12 ἔστι δ' ἀνδρὸς νοῦν ἔχοντος, μὴ τὴν εὐπορίαν ἀγαπᾶν ἣν ἔχει τις περὶ τῶν αὐτῶν πλείω τῶν ἄλλων εἰπεῖν, *Corayus* pro ἣν ἔχει τις ex conjectura edidit ἣν ἔχῃ τις, quam conjecturam, codice Urbinate Γ confirmatam, recepit *Bekkerus.* At equidem antiquam lectionem non spreverim: est enim εὐπορία ἣν ἔχει τις εἰπεῖν *copia quam aliquis habet ad dicendum*, ut scilicet infinitivus εἰπεῖν interpretetur vocem εὐπορία. Magis autem convenit Isocrati, de sua dicendi copia ubique satis magnifice loquenti, ut dicat ἣν ἔχει τις, quam ut modestius illud ἣν ἔχῃ τις usurpet. — Ceterum de loco Thucydidis, quem modo exposuimus, si verbum κατείχετο non absolute intelligeretur, eique pro plena illa perfectaque notione tribueretur alia, v. g. *impediebatur, es wurde abgehalten* sive *verhindert*, qualis notio alio subjuncto verbo complenda esset, ut scilicet κατεργάζεσθαι esset illud, quod vulgo dicitur, complementum: equidem minime dubito, quin scribendum fuisset κατεργάσασθαι: qui enim impedit, sive a quo impeditur quominus aliquid fiat, ejus utique consilium est, ne illud unquam *factum sit;* unde fit, ut, quamvis in universa sive plena enuntiatione cernatur maxime rei perpetuitas, momentum tamen rei perfectae, quod in complemento cernitur, Graeci, quae est eorum mira quaedam in cogitando scribendoque ἀκρίβεια, infinitivo aoristi exprimere soleant. Quodsi contra, ut factum est, verbo κατείχετο tribuitur plena perfectaque notio, ut infinitivis non sit complementum, sed notionis, quae verbo continetur, accuratior quaedam explicatio; actionis perpetuitas, quae in ipso verbo κατείχετο cernitur, eadem necessario tenenda est in sequenti infinitivo, quippe quo notio verbi continuatur quodammodo et amplificatur. Hinc fit, quod nostro loco videmus, ut infinitivo praesentis temporis perpetuitas illa significetur.

XENOPHON

Hist. Gr. II. 4. 10.

Οἱ δὲ τριάκοντα, ἐπεὶ ᾔσθοντο ταῦτα, ἐβοήθο[illegible] εὐθὺς (αὐτοῖς) ξὺν τε τοῖς Λ. κ. τ. λ. — Molestum videtur Viris Doctis pronome[illegible]ὐτοῖς quod recte,

putaverim, incluserunt. *Lud. Dindorfius* nuper edidit *εὐθὺς ἐβοήθουν* omisso pronomine, quod item a Victorio in varietatibus scripturae ad marginem Aldinae Monacensis omissum esse docet. *Wyttenbachius* emendat *αὐτόσε*, improbante *Fr. Jacobs* in *Att.*, quod cum verbo *βοηθεῖν*, quando de loco jam ante dictum sit, ejusmodi adverbia loci conjungi non soleant. At numquid fortasse legendum sit *αὐτοὶ*, ut sensus sit: *statim venerunt ipsi cum custodibus, equitibus et reliquis*, et cum vi quadam significetur, Tyrannos ipsos adfuisse? Huic sententiae favere videtur cum locus ipse, quo ponitur pronomen, tum vero tota ratio contextus: etenim Triginta et ipsos adfuisse, mox significatur expressis verbis Thrasybuli, qui eos digito quasi ostendens militibus suis *οἱ δ' ἐπὶ τοῦ εὐωνύμου ἔσχατοι*, inquit, *οὗτοι δὲ οἱ τριάκοντα, οἳ κ. τ. λ.*

Haec in praesentia sufficiant. Quod autem haec mea scriptio paulo serius quam decuerit in lucem prodeat, id velim excusationem habere apud benevolum lectorem. Mea certe culpa factum non est, sed partim aliqua typographi tarditate, partim eo quoque, quod tabellarius publicus, qui quavis septimana bis Cassellis huc advenit, non nisi semel plagulas corrigendas ad me perferre, correctasque reportare ad typographum poterat.
